



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo XVI. Antiqua Monumenta Ad Historiam Mediae Aetatis Illustrandam,
Nunquam Edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1601

Epistola XVII. Ad Pontificem Ricbodvm Trevensis ciuitatis & Conuentum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64144)

EPISTOLA XVII.

AD PONTIFICEM RICBODVM TREVERENSIS CIVITATIS & CONVENTUM.

EPISTOLA XVIII.

Pio patri, & amico charissimo Macario monacho, & Pontifici.

FLACCVS ALBINVS, IN CHARITATE

et Christi salutem.

QUOD DEVS coniunxit, seculum non separat. Ecce qui venit ignem mittere in corda suorum, ille faciat ardere, quod incendit: nec flumina infidelitatis obruent ignem, qui in altari DEI diu noctuque ardere præcipitur. Nec alienum quislibet audeat ignem portare in tabernaculum spiritale: ne occidatur ab eo, qui suum semper ardere iussit. Quis est ignis DEI, nisi charitas? & quis alienus, nisi amor seculi? Ideo duo seruati sunt ex filiis Aaron, propter duo præcepta charitatis: & duo perierunt, propter seculi amorem, & amatorem illius.

Optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea. Amemus, quod non auferetur: fugiamus, quod auferri potest. Impium est, diligentem non diligere, & retribuenti non retribuere. Quid retribuit nobis DEVS? retribuit nobis pro malis nostris bona sua, retribuimus ei pro bonis suis, bona nostra. Quæ sunt bona nostra nisi ut diligamus eum, & mandata eius obseruemus? Quæ sunt mandata illius? ut diligamus inuicem. In his duobus præceptis tota lex pendet, & propheta.